

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Prot. n. 715/68 CG

N

Factorum iuridicorum declarandorum damnorumque

(X, Y, Z, W. - Consilium permanens Episcoporum W)

Incidentis: Querelae nullitatis adversus decretum Exc.mi Decani S.R.Rotae diei 21 octobris 1968 quo libellus reicitur.

Proposito dubio: “Utrum recursus adversus decretum ab Exc.mo Decano S.R.Rotae, die 21 octobris 1968 in causa latam, admittendus sit necne ad disceptationem?”.

decretum est:

Negative, seu recursum in casu admittendum non esse ad disceptationem.

Attamen recurrentibus patet via administrativa ad S. Congregationem pro Episcopis, contra cuius decisionem, ad normam art. 106 Constitutionis “Regimini Ecclesiae Universae”, datur recursus, si casus ferat, ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae, Sectionem Alteram

I. M. PINNA, *Secr.*

I. PIANTONE, *Canc.*

Votum

INDEX

Pars I. Factorum expositio	1
Pars II. Iudicium de factis descriptis et via ad rem solvendam	6
I. De causae obiecto, gravitate, natura	6
II. De itinere processuali quod sequendum fuisset	7
III. De itinere quod de facto secutum est	8
§1. De ratione agendi Advocati	8
§2. De ratione agendi Decani	12
Conclusio	14

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Querela nullitatis contra decretum latum ab Exc.mo Decano Tribunalis S.R.Rotae diebus 21-25 octobris in N. “X – Y – Z Consilium permanens Episcopatus W” est ultimus gressus hucusque positus in causa, quae circa rei meritum satis clara videtur, attamen processualiter propter male positam ab initio quaestionem, propter moras a S.R.Rota adhibitas, et praesertim propter multiplicatas nec ab erroribus immunes instatias Advocati, verus labyrinthus evasit.

Itaque ut rem enodare possimus, primo accuratam et quantum fieri potest claram factorum expositionem faciemus; deinde, nulla distinctione facta seu per modum agentes “de iure” ac “de facto”, curabimus de omnibus gestis iudicium dare et viam indicare ut res tandem solvi valeat.

Pars I. *Factorum expositio*

1. *Neglegentia Secretarii Episcopatus et Secretarii mediorum communicationis dat quaestioni ortum*

1. Consilium permanens Episcopatus W die 23 iunii 1966 edit Communicationem in qua auctores quorundam articulorum nonnullarum ephemeridum catholicarum monebantur de recedendo ab oppositione contra Decreta Concilii Vaticani II: “... Une minorité cependant, avec une audace qui s’affirmé, conteste, au nom d’une fidélité au passé, les principes du renouveau entrepris ... Tout en voulant comprendre et partager l’inquietude des esprits de bonne foi et de bonne volonté ils (sc., Episcopi) considerent comme un devoir de mettre en garde les fideles contre des articles parus notamment dans des magazines comme Le A et la B des revue comme C et D des bulletins comme E” (C, Supplement au n° 105 de juillet - août 1966. F, pp. 48-49. Nota: Ex hoc fasciculo necnon ex ipso Recursu exhibito Signaturae Apostolicae ab Advocato Sac. M desumimus omnes notitias, quas in hac prima parte praebemus).

2. Secretarius generalis Episcopatus W, Mons. V remisit ad Y, Directorem Ephemeridum C textum Communicationis Consilii permanentis Episcopatus, simul cum epistola in qua haec inter alia asserebat: “Plusiers Evêques avaient, a maintes reprises, cherché un dialogue avec les auteurs des articles mis en cause. Aujourd’hui encore, les membres du Conseil permanent ont tenu a ce que ce texte vous soit adressé personnellement avant d’être publié, et ils m’ont chargé de vous le faire parvenir. Si vous désirez un entretien, je suis bien entendu disposé a vous recevoir” (C, p. 47).

Epistula gerebat datum (sabbati) 25 iunii 1966 (ib., p. 47), sed ex involu-
cro constat quod deposita fuisset apud tabellionem publicum die dominica
26 iunii, h. 18, 30, ac consequenter recepta fuit a praefato Directore die lunae,
27 iunii, mane (ib., p. 57, n.5).

Eodem tempore, sc., die lunae h. 10, Mons. R, Director Secretarius pro
opinione publica necnon pro mediis communicationis habuit “conference de
presse”, in qua publici iuris fecit Communicationem Consilii permanentis
Episcopatus, in cuius praesentatione asseruit Episcopos: 1° “inutiliter con-
tendisse dialogum cum praefatis auctoribus habere, 2° ideoque decrevisse
supra indicatam Communicationem publici iuris facere, cuius textus tamen
antecedenter cum Directoribus praefatarum ephemeridum communicatus
fuerat (ib., pp. 51 – 52).

3. At Director ephemeridum C in postmeridie ipso diei 27 dedit commu-
nicationem Agentiae K, in qua animadvertibat: 1° numquam invitatum se
fuisse ab Ordinario loci ut dialogum cum ipso haberet (ib., p. 53), 2° Secre-
tarium generalem Episcopatus misisse sero epistolam, ideoque propter eius-
dem culpam se non potuisse cognoscere Communicationem ante eius publi-
cationem (ib., pp. 53; 57, n.5). Serius manifestavit etiam quod Mons. R non
invitavit ipsum ad “Conference de Presse”.

4. Consequenter tum Mons. V tum Mons. R res falsas asseruerunt, immo
hic ultimus causando - ob defectum invitationis - absentiam Directoris
ephemeridum C a “Conference de Presse”, aditum dedit ut haec absentia
confirmaret “giornalisti” praesentes in falsa opinione de rebellionem supra
dicti Directoris contra Episcopatum W.

Nota. Quidquid hactenus diximus de ephemeridibus C ac de eius Direc-
tore, valet pariter de aliis ephemeridibus cum respectivis Directoribus, qui
causam communem fecerunt cum Y.

5. Sequela eorum quae in n. 4 dicta sunt fuit quod publici “quotidiani” ac
“Rivistae dioecesanae” divulgarent notitias falsas de oppositione plurium
ephemeridum contra decreta Concilii Vaticani II, necnon contra ipsum Pa-
pam et contra W Episcopos.

Sed causa huius “tempestatis giornalisticae” fuerunt supradicti Mons. V
et Mons. R.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

2. Actio Iudicialis apud Tribunalia dioecessana

6. Quamobrem tres Directores ephemeridum, sc., X, Y et Z, exhibuerunt libellos contra plures “Revistas dioecessanas” (sc., quae ediderant commentarios laesivos adversus praefatas ephemerides) coram respectivis Ordinariis dioecesanis.

Sed hi omnes libelli reiecti fuerunt, quia iudices existimarunt illos impetere actum administrativum Episcoporum, ideoque se esse necessaria competentia orbatos.

3. Appellationes et novus libellus ad S.R.Rotam deferentur

7. Ideo actores a. 1966 appellarunt ad S.R.Rotam contra reiectiones libellorum. Sed adhuc in anno 1968 non erat Turnus iudicans constitutus.

8. Interea actores mutarunt consilium et exhibuerunt novum libellum, et quidem directe, ad Rotam, in quo: 1° ex una parte instaurabant novam omnino causam contra “Consilium permanens Episcopatus”, propterea quod approbaverat asserta falsa et damnosa prolata et propagata ab eiusdem organo, sc., a Secretariis sive Episcopatus sive opiniones publicae; 2° et ex alia parte novum impulsus dabant appellationibus ad Rotam de quibus supra, sub. n. 7.

9. Advocatus Rotalis, Sac. M indicabat praeterea connexionem inter causas antea propositas et causam nunc primo instauratam, vi nempe principii: “qui est causa causae est causa causati”, sc., auctores assertionum falsarum sunt etiam auctores damnorum causatorum ab illis “Revistis Dioecesanis”, quia in errorem ductae sunt ob falsitates prolatae ab utroque secretario.

4. Multiplicantur instantiae Advocati ut Decreta ferantur; et, Decretis latis, ut eorundem tituli (“intestazioni”) reformatur

10. Cum Rotae Decanus procrastinaret etiam nunc Turni constitutionem, ac praeterea officiose scitum fuisset quod morae nitebantur in dubio competentiae, sc., utrum causa ad Rotam an ad S. Congregationem pro doctrina fidei pertineret, Advocatus, ut difficultates superaret, instantias scriptas multiplicavit inde a die 9 novembris 1967 usque ad 16 iulii 1968, in quo die tertiam instantiam exhibuit.

a) Primum Decretum

11. Tandem die 2-14 augusti 1968 decrevit Decanus constitutionem Turni Ferraro – Czapla – Lauro in causa N. et aliarum: reiectionis libelli n. 9490 (p. 7, n. 9), sc., ut iudicarentur appellationes ad Rotam delatae a. 1966, et cum quibus connectebatur causa directe proposita coram Rota ab eisdem actoribus sed contra novum conventum, sc., “Consilium permanens Episcopatus”.

12. Advocatus, existimans per talem enuntiationem, sc., N. etc., satisfieri quidem appellationibus prius propositis, non autem causae noviter delatae et cum illis connexae, novam instantiam proposuit die 19 septembris 1968, obiciens enuntiationem esse “inesatta ed incompleta”. Breviter: volebat ut enuntiatio desumeretur potissimum ex causa tempore posteriori proposita, deinde obiectum omnium causarum colligebat in quattuor dubiis.

b) *Decretum alterum*

13. Designatus turnus Ferraro – Czapla – Lauro die 27 septembris – 8 octobris 1968 emisit decretum huius tenoris in causis sibi delatis (sc. N. et aliarum): “Notificetur Patrono Turnum esse consitutum, ut ad ulteriora procedat”.

14. Sed Advocatus iterum difficultatem inveniens in titulo (intestazione) decreti, reproposuit in nova instantia diei 11 octobris 1968 ad Decanum quidquid dixerat in praecedenti; sicut in instantia praecedenti repeterat et paulo ampliaverat quidquid in novo libello exposuerat.

Advocatus praeterea: 1° monet de constituendo Turno pro causa P recentius proposita, aut de reiciendo libello quo eadem proponitur, 2° ac animadvertit ut in quovis casu sciant silentium protractum per annum a die exhibitionis libelli praefatae causae aequivalere recusationi iniustificatae constituendi Turnum, integro sibi manente iure “di riproporre in sede di revisione amministrativa l’intera questione nel suo complesso”.

15. Cancellarius hanc instantiam accipere noluit, quia deerat in illa numerus protocolli et nomen ponentis.

Advocatus existimavit hoc esse impossibile factu, siquidem, iuxta suam mentem, etsi daretur causarum connexio, non erat competens in P Turnus Ferraro-Czapla-Lauro, sed opus erat constitutio novi Turni. Ideo expedit iterum instantiam ad Decanum per “posta raccomandata”, addita nota explicativa, die 13 octobris 1968.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

5. *Reicitur libellus causae Parisien. Advocatus recurrit ad S. Tribunal Signaturae Apostolicae*

16. Tandem Decanus per decretum diei 21-25 eiusdem mensis et anni, respondens simul et instantiae Advocati et libello ab eo exhibito die 29 iunii 1967, edixit S.R.Rotam esse incompetentem in casu ideoque instantiam esse reiciendam.

17. Advocatus autem, accepto decreto, proposuit die 28 octobris 1968 contra illud et coram S. Tribunal Signaturae Apostolicae querelam nullitatis his tribus rationibus innixam, sc., quia Decanus: 1° pronuntiaverat extra thema decidendum, 2° absque competentia, et 3° adducens canones, qui ad rem non faciunt. Praeterea Advocatus huic querelae praemisit aliam decreti impugnationem, quia sibi videbatur esse praecedenti decreto contradictorium.

Petit praeterea alia marginalia, quae ad bonum sensum pertinere non videntur.

Pars, II. Iudicium de factis descriptis et via ad rem solvendam

18. Ut clare procedamus, prius de causae, quae agitur, obiecto, gravitate, natura; tunc de via processuali sequenda; denique de via processuali quam ex errore secuti sunt.

I. De causae obiecto, gravitate, natura

19. Attentis quae exponuntur sive a Y in diversis eius scriptis ad S.H.T. missis, sive ab Advocato in ipso “recursu”, videtur fumum boni iuris habere querela praedicti Y et aliorum ephemeridum Directorum contra Secretarios tum Episcopatus tum opinionis publicae, quia res falsas asseruerunt, ex quibus plura damna, praesertim quoad famam, secuta sunt, sive immediate, sive mediante difusione “giornalistica”, quam fecerunt plures “Revistae Dioecesanæ” a praefatis Secretariis in errore inductae.

20. Agitur proinde de causa gravi, siquidem eius obiectum sunt graves iurium subiectivorum laesiones.

21. Attamen cum hae laesiones iurium subiectivorum factae fuerint per actus administrativos, sc., per communicationes vel culposas omissiones peractas a personis publicis, officio administrativo indutas, et quidem in eiusdem

officii exercitio, necnon ab organismo administrativo, nempe a “Consilio permanente Episcopatus” sequitur quod natura praesentis causae est etiam administrativa, ideoque a Tribunali iudiciario cognosci nequit, sed solum a competente dicastero administrativo.

22. Existimamus (contra assertum Adv. M) nullum dubium moveri posse de natura administrativa communicationum de quibus supra, praesertim vero communicationis Consilii permanentis Episcopatus. Nam quilibet actus ex potestate iurisdictionis procedens, quique ex una parte non est actus nec legislativus nec iudicialis, et ex alia bonum publicum intra limites legis quocumque modo promovet, est certo certius actus administrativus (cf. nostrum art. De Tribunalibus administrativis, in *Periodica* 57 /1956/ 610-611, n.10).

Pariter existimamus esse hodie iam extra controversiam principium quod actus administrativi, praesertim Episcoporum, nequeunt potestati “iudicativae-iudiciali” subici. Atque hoc assertum habet solidum fundamentum tum in ipsa rei natura, tum in iurisprudencia ecclesiastica, tum in iure sive antiquo sive (sic) vigente, praesertim postconciliari, prout compendiose exposuimus in citato articulo, ad quem liceat nobis, brevitatis causa, lectorem remittere (pp. 626-626, nn. 30-33, et nt. 14. Pro sensu vocis “iudicativae-iudicialis” cf. p. 615, n. 18 et nt. 12).

II. De itinere processuali quod, ut videtur, sequendum fuisset, et nunc ad rem solvendam sequendum erit

23. Iuxta dicta in numeris praecedentibus habetur quod praesens querela, siquidem movetur contra actum administrativum Episcoporum vel eorum qui Episcopos repraesentant, deferenda fuisset ad S.C. pro Episcopis, quae est unica in casu competens; non autem ad S.C. pro fidei doctrina, nam obiectum querelae nequaquam est accusatio prolata contra praefatos articulorum auctores propterea quod dissentirent a decretis Concilii Vaticani II et Pauli VI (cf. supra, n.1), sed simpliciter quaedam falsitates necnon damna ab eisdem promanantia (cf. supra, n. 6).

24. Quodsi, facto recurso ad S.C. pro Episcopis, eveniret ut eius decisio recurrentibus non probaretur in eaque aliqua lex violata fuisset, tunc esset locus novo recurso, sc., contentioso - administrativo, ad Sectionem alteram S. Tribunalis Signaturae Apostolicae, iuxta n. 106 const. *Regimini*, et iuxta *Normas speciales* eiusdem Tribunalis, art. 96, n. 1.

In recurrendo autem accurate observanda esset procedura ibidem praescripta, in art. 104-110.

III. *De itinere processuali quod de facto fuit secutum* § 1. *De ratione agendi Advocatorum*

1. *Viam iudicalem ex errore assumpserunt*

25. Primo tempore, ut videtur, patrocinium partis actricis susceperunt Advocati in W residentes; dein, propter appellationes apud S.R. Rotam prosequendas, subintravit cl. Sac. Adv. M.

26. Porro error fundamentalis in tota hac causa fuit quod sive Advocati W sive Adv. M voluerunt illam per viam iudicalem conducere; quod quidem fieri omnino non potest, propterea quod tandem aliquando agitur de causa contra actus potestatis administrativae, praesertim Episcoporum, sicut supra ostensum est (n. 22).

Aliud dicendum esset si causa sub iudice esset criminalis, sc., propter asserpta calumniosa in praefatis Communicationibus contenta, et quidem ad normam can. 2355 (cf. infra n. 31). Verumtamen pars actrix et eius Advocatus deliberate causam criminalem excludunt.

27. De cetero, quidquid diximus de impossibilitate sequendi viam iudicalem, valet sive de causa mota contra Consilium permanens Episcopatus, sive de causis prius propositis contra “revistas dioecesanarum”, siquidem etiam in radice harum causarum latet impugnatio actus administrativorum, prout optime intellexerunt tum Tribunalia W, quae merito libellos reicerunt, tum Adv. Lazzarato, qui, introducens causam contra Consilium permanens, statim patefecit eius cum prioribus propositis causis connexionem (cf. supra, nn. 6-9).

2. *Alii errores et inconcinnitates*

28. Certo certius causae introductae contra “revistas dioecesanarum” apud diversa tribunalia W effugiebant cardinem quaestionis. Ideo in meritum vertitur Advocato M quod novam causam introduceret ut recta via punctum centrale impugnaret, sc., acta a Secretariis sive Episcopatus sive mediorum communicationis. Sed haec laudanda totius rei intuitio et nova orientatio secum ferebat, praeter errorem fundamentalem perseverandi in via iudiciali, alia sive minus opportuna, sive inconcinna, sive etiam erronea.

29. Satis erit praecipua indicare, salvo semper meliori iudicio, et quatenus haec nostra crisis probetur, prae oculis habita illa humanissima Horatii sententia: “Aliquando bonus dormitat Homerus”, quod in praesenti casu locum habere existimamus fortasse quoad “dormitat”, certissime quoad “bonus”.

1° *Minus opportune convenitur* “Consilium permanens”

30. Non nos fugit responsabilitas quae in “Consilium permanens Episcoporum W” refunditur propter acta ab eiusdem Secretariis. Quo non obstante, reverentia, quam debemus Episcopis, nobis persuadet satis fuisset convenire Episcoporum Secretarios.

Immo, haec ratio agendi, quae sufficiens fuisset ad ius partis actricis defendendum, eidem parti probabiliter benevolentiam Episcopatus conciliasset, qui non potuisset tantam moderationem in proprio iure proseguendo non agnoscere ac favore prosequi.

2° *Inconcinne sermo fit de* “falso”

31. “Crimen falsi” in Codice I.C. habet significationem omnino specificam, sc., comprehendit diversos “falsificationis” modos, necnon falsam denuntiationem sacerdotis tanquam sollicitantis, prout describitur in L.V., tit. XV, can. 2360 – 2363.

Ideo ad omne aequivocum praecavendum melius fuisset, omissa voce “falsi” sine addito, locutionem clariorem adhibere, v.g., iniuriam sensu generico can. 2355.

3° *Inutiliter insistitur in ratione inscribendi decreta*

32. Can. 1567, praecipiens coniunctionem apud idem Tribunal causarum connexarum, nihil omnino dicit neque de modo illas coniungendi, neque multo minus de ratione tituli (intestazione) quo causae connexae inscribi debent. Sed neque hac super re habetur legislatio Codicis supplementaria.

Auctores, qui de hoc argumento loquuntur, alludunt ad diversos modos posibles coniunctionis, suadentes ut etiam unicus omnino fiat processus, saltem materialiter (cf. Card. F. ROBERTI, *De processibus*, vol. I, ed. 4, in Civitate Vaticana 1956, nn. 87, II; 88, in initio).

Ideo inutiliter - ne dicam petulanter - reicit Advocatus titulos decretorum et instat ut “dicitura” ab ipso proposita assumatur (cf. supra, nn. 12, 14). Exi-

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

stimamus quod (posita abiecta causarum connexione ac voluntate eas coniungendi, manifestata quovis modo a Tribunali primam causam ex connexis occupante) titulus “N et aliarum” est sufficiens ut sub illa voce “aliarum” comprehendantur omnes causae connexae, etiamsi pars conventa sit diversa, siquidem connexio abstrahit ab elementorum subiectivorum diversitate.

4° *Quaestiones diversae confunduntur*

33. Dato et non concesso quod vigeat hodie apud S.R.Rotam illa praxis iuxta quam “de stylo Rotae est, cum de nullitate sententiae iudicis inferioris decernit, cognoscere de negotio principali” (ex una c. Lega, cit. in *Ricorso*, p. 9), negatur quod “quaestio reiectionis libelli” de qua can. 1709, §3, et querela nullitatis de qua can. 1892 et ss. sint unum idemque, saltem secundum speciem et genus. In comperto enim est quod decretum reiciens libellum potest esse validissimum ad normam cann. 1892, 1894, et tamen iniustum; et ideo si aliquod eiusmodi decretum infirmetur a Tribunali superiore, non ideo declaratur fuisse nullum. Consequenter, infirmato reiectionis libelli decreto, causa per se cognosci debet apud Tribunal quod decretum reiecerat.

5° *Nova causa seu Parisien illegitime coram Tribunali S. R. proponitur*

34. Propositio novae causae apud Rotam est omnino irregularis, quia Rota est Tribunal appellationis.

Certo non sufficit ad talem propositionem iustificandam quod haec nova causa sit connexa cum illis appellationibus (ideoque attentio can. 1567 ab uno eodemque iudice simul cum illis iudicanda); nam iuxta dicta in numero praecedenti, cum agatur de appellationibus contra reiectiones libellorum, si reiectiones infirmantur, causae omnes connexae debent cognosci non a Rota sed a Tribunalia quae libellos reiecerunt.

Neque sufficit simul cum libello mittere ad Rotam instantiam explicativam aut supplicem (*Ricorso* p. 4, n. 6), quia eiusmodi petitiones ut obtineatur commissio causae apud S.Rotam in prima instantia, non ad ipsam sed ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae mittendae sunt, iuxta praescriptum can. 1603, § 2. (Tamen tenor illius instantiae nobis non constat, sed praesumitur tantum, quia instantiae non sunt nobiscum communicatae).

6° *Satis confuse sermo fit de recursu ad S. T. Signaturae*

35. Advocatus in instantia diei 11 octobris 1968 (cf. supra, n. 14) has minas faciebat: “con salvezza di ogni diritto, anche di proporre in sede di revisione amministrativa l’intera questione nel suo complesso”, et statim remittebat ad const. *Regimini*, n. 16 (sic pro 106 ex manifesto lapsu scribentis), et deinde ad *Normas speciales* Signaturae, art. 96, 4°. In quo textu triplex inconcinnitas vel error habetur: 1) Cur hic transitus irregularis a via iudiciali ad viam administrativam? Etenim citatus n. 106 declarat competentiam Sectionis administrativae Signaturae Apostolicae. 2) Quomodo intenditur ut recursus contra acta Tribunalis non administrativi, sicut est S.R.Rota, ingrediatur sphaeram contentiosi-administrativi? 3) Tandem, cum Advocatus se appellat ad *Normarum* art. 96, 4°, qui sic sonat: “Per sectionem alteram Signatura Apostolica cognoscit ... quaestiones administrativas eidem commissas a Summo Pontifice”, num pro certo habet quod Romanus Pontifex suam praetensi omnem accipiet, et quaestionem - iuxta ipsum Advocatum - iudicalem Sectioni administrativae Signaturae committet?

36. De facto tamen Advocatus, cum recursum proposuit, confugit ad Sectionem iudicalem Signaturae, et expresse citat *Normarum* art. 17, § 2, n. 1 coll. cum art. 19 (*Ricorso* p. 14, n. 15. Cf. supra, n. 17). Sed statim addit novam inconcinnitatem cum scribit: “par. 3 per manifesta violazione di legge”. - Eiusmodi paragraphum non valuimus invenire. Sed si attendimus ad illam manifestam legis violationem (“per manifesta violazione di legge”), inconcinnitas in aperto esse videtur, nam talis violatio certo certius non refertur ad querelam nullitatis, quam Advocatus iustificare intendit, sed ad introductionem recursus contentiosi ad normam const. *Regimini*, n. 106, vel fortasse ad restitutionem in integrum, quae fieri potest per legis praescriptum evidenter neglectum (can. 1905, § 2, n. 4°).

7° *Querela nullitatis reiciens decretum Decani S.R.Rotae non tenet*

37. Verumtamen de hoc argumento sermo erit infra sub nn. 42-46 § 2. *De ratione agendi Decani S.R.Rotae*

38. Imprimis fatendum est Exc.mum Decanum nimis procrastinasse pronuntiationem circa utrumque libellum (cf. supra, nn. 10, 14), quod de cetero non raro evenit apud S.R.Rotam, prout recenter relevavimus in nostro art. *De nimia processum matrimonialium duratione*, in: *Periodica* 58 (1969) 500-502, nn. 15-17 cum notis.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

39. Venientes ad meritum decretorum, melius fuisset nec admittere appellationes contra reiectiones libellorum (quos bene Tribunalia dioecesana reiicerant), nec Turnum constituere (cf. supra, n. 11), quia, ut diximus, sub cortice latebat impugnatio actus administrativi; quod in aperto positum fuerat ab Adv. M vix causarum connexionem invocavit (cf. supra, nn. 9, 24).

40. Tamen, non obstante admissione appellationum et constitutione Turni (ex quo, propter connexionem, etiam causa P noviter proposita censenda erat aliquatenus admissa), optime fecit Decanus in reiciendo libello novae causae introductorio (cf. supra, n. 16); qui in hac causa Rota est absolute incompetens iuxta can. 1601, et consequenter Decanus, vix Rotam incompetentem agnovit, vi can. 1611, talem incompetentiam declarare tenebatur.

41. Et quamvis, posita connexione, videatur esse quaedam contradictio inter decretum constituens Turnum pro N, et decretum reiiciens libellum causae P (prout sollerter Advocatus relevavit, cf. supra, n.17, ad finem), revera nulla contradictio habetur, sed simplex “mutatio consilii”, re maturius perpensa; quod quidem viri prudentis est iuxta notum dictum M. T. Ciceronis: “Sapientis est mutare consilium”, immo et in casu obligatorium, propter iniunctum canonis 1611.

De cetero clarum est reiectionem libelli causae P, trahere secum reiectionem appellationum, et quidem propter eandem rationem incompetencia S. R. Rotae in casu.

42. Consequenter querela nullitatis contra hoc alterum Decani decretum ab Advocato proposita (cf. supra, n. 17) non tenet omnino; idque luculentius constat ex argumentorum expensione, quibus querelam sustinere intendit:

43. *Primum argumentum* est assertio quod decreti pronuntiatio versatur extra materiam decidendam. Nam iuxta Advocatum materia decidenda erat instantia eius ultima, non libellus causae P, quod nunc idem Advocatus approbatum existimat per designationem Turni pro N et aliis (*Ricorso*, p. 16, n. 1).

44. Sed respondetur: 1° Heic Advocatus asserit contrarium atque in instantia, ubi conquerebatur de nondum admisso libello causae P. 2° Dato et non concesso quod libellus fuisset implicite admissus in designatione Turni pro N et aliis, iam diximus in casu. Vigore can. 1611 necessariam esse de-

clarationem propriae incompetentiae, quippe absolutae; et quia causa nondum pendebat in Turno Ferraro-Czapla-Lauro (nam solum pendere incipit citatione partis conventae legitime peracta, iuxta can. 1725, 5°), bene poterat ipse Decanus reiecere libellum, quam implicite sed male acceptavisset. 3° Sed videtur nobis magis realitati conforme quod Decanus nunquam sese pronuntiavit circa connexionem, ideoque libellum causae P reiecit tanquam si ageretur de causa omnino independente ab N et aliis. Quodsi Advocatus tenet connexionem (et hoc verum est), inde sequitur quod, per consequens, etiam admissae appellationes per hoc alterum Decani decretum reiciuntur, ex eadem ratione incompetentiae absolutae, qua laborat Rota ad illas iudicandas, prout paulo antea diximus (cf. etiam supra, nn. 23, 37).

45. *Argumentum alterum* asserit Decani incompetentiam in casu; sed in responsionibus praecedentibus iam ostendimus eius competentiam ad reiiciendum libellum causae P, sive consideretur ut libellus circa quem nondum erat pronuntiatio facta, sive tanquam implicite sed male admissus simul cum appellationibus circa N et aliis.

De cetero ratio argumentandi ab Advocato adhibita est nimis formalistica et superficialis.

46. Tandem, *tertium et ultimum argumentum* est quod decretum “cita canonis a sproposito”.

Nolumus persequi studium quod Advocatus facit de canonibus citatis ab Exc.mo Decano in suo decreto, quia in eiusmodi studio recurrunt ut plurimum opiniones a cl. Adv. L olim expositae de subicienda potestate administrativa eiusque actis potestati iudiciali, et quibus nec iurisprudentia nec ius vigenst (sic) favet, ut supra indicavimus (n. 22). Sufficiat dicere quod saltem can. 1601 omnino ad rem facere, et hoc satis est ut decretum exhibeat rationes decidendi, requisitas ad valorem a can. 1894, 2°.

47. Atque sic eversis, ut credimus, argumentis Advocati, ruit querela nullitatis, et stat decretum Exc.mi Decani.

Conclusio

48. Quae cum ita sint, sic concludere possumus:

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

1° Querela de violatis iuribus subiectivis Directorum Ephemeridum, et quidem per actus administrativos Episcoporum vel eorum quos Episcopos W repraesentant, videtur fumum boni iuris habere (cf. nn. 19-21).

2° Haec querela male proposita est per viam iudicalem (cf. nn. 22, 25-27; etiam, sequentes).

3° Consequenter Exc.mus Decanus Rotae bene reiecit libellum causae P, quia tandem aliquando in actu administrativo Episcoporum nitebatur (cf. nn. 40-47).

4° Denique unica via possibilis ad rem solvendam est via administrativa, modo explicato (cf. nn. 23-24).

Salvo meliori iudicio.

Grypta Ferratae, 7 iulii 1969.

I. GORDON, S.I.

IURISPRUDENTIA: PROT. N. 715/68 CG